Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 845
Quelle:
Copyright:

draw a treatise in English by a worshipful clerk, whose name was Gatrike, in the which were contein'd the articles of bileve, the VII dedly Sinns, the VII works of mercy, the ten commandments. And sent them in small pagines to the commin people to learn it &c. atque hinc suspiceris, Tractatum nostrum etiam *anglice* redditum extare in *Cottoniana* p. 92. n. 71. sub titulo: *De versione Scripturarum in linguam vernaculam, Anglice, ex libro in bibliotheca Wigorniensi*, et in *Bodlejana* p. 180. n. 3901. *An ancient Ms. concerning the Translation of the Scripture into English.* utrobique absque Autoris nomine, quod hac ratione vel ipsis ejus Popularibus mansisset ignotum. Verum, ut ad scriptionis tempus redeam, cum autor Thoresbium *quartum a presenti* Archiepiscopum nominet, liquet, eum sub *Roberto Waldby* scripsisse; hic vero *Eboracenses* infulas suscepit 1396. et, ut tardissime, 1399. morte destituit. Ansam porro scriptioni dedisse videntur anglicae *Johannis de Trevisa*, et *Joh. Wiclefi* Bibliorum Versiones, quae haud multo ante per regnum diditae non iisdem omnium studiis excipiebantur; quo pertinet illud *Antonii a Wood* L. II. *Antiquit. Oxon.* p. 95. *Quod quidem Opus* (Joh. de Trevisa) *ut periculi illa tempestate plenum, sic temerarium potius, quam utile fuit.* Sed earum caussam agit Noster, multaque de linguarum genio, de linguae *Anglicae* aevo suo conditione, de Interpretis officio &c. adfert, quae palam legi mererentur. Juvat quaedam excerpere. C. 3. *Latini quia uidetur eis latinum suum sufficere, grecum, quod est ydioma excellentius, recusarunt. Sic etiam grammatici nostri temporis linguam gallicam, qua priores grammatici construere solebant, ex toto tamquam sibi inutilem deserunt, sicque multi optant, quod fieret in placitis* (Placet, libellus supplex) *nostris gallicanis.* C. 8. *Quid queso placet tibi dicere de gallicis, teutonicis et hispanis, qui omnes in suo vulgari habent, et habuerunt bibliam a tempore, cuius memoria non existit. — Audiui a quodam venerabili viro allemanno, quomodo quidam flamyngus Jacobus de Merland appellatus transtulit totam bibliam in suum flandricum, super quo a suis emulis impetitus curiam Romanam pecijt, ubi facta propositione precepit papa librum examini tradi, quod et factum est. Demum autem comperta est translacio tam fidelis, quod dimissus erat libere in confusionem emulorum.* — Narrat idipsum *Jac. Usserius* in posthuma *Hist. dogm. Scripturar. et Sacror. vernac.* p. 195. ex fragm. *Bibl. Wigorn.* unde magis confirmor Codicem *Cotton. suprac.* nostrum esse Tractatum. *Ipse habeo vnum libellum de exposicione euangeliorum quamplurimorum per anni circulum in vetustissimo anglico, quod uix aliquis hominum iam viuencium sufficienter intelligeret propter imixtionem linguarum alienarum nostro anglico.*